

Dissertatio medica inauguralis de fine mensium initiis morborum variorum opportuno ... / [Simon Daniel Titius].

Contributors

Titius, Simon Daniel.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Christ. Henckelij, [1710]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cxneczpa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16
17

Q. S. A. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
De

**FINE MENSIIUM
INITIIS MORBORUM
VARIORUM OPPORTUNO,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO DUCATUS MAGDEBURG. GUBER-
NAT. ET RELIQUA,

IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSEN-
SU ET AUTORITATE

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi atque Experientissimi

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROF. PUBL. ORDINAR.
ACAD. NAT. CUR. COLL. FAC. MED. h. t. DECANI
GRAVISSIMI

*Dn. Patroni, ac Promotoris sui, omni honoris, ac observantiae cultu
etatem devenerandi.*

PRO DOCTORIS GRADU,

Summisque in Medicinâ Honoribus, Insignibus ac Privilegiis rite &
legitime consequendis,

*In Auditorio Majori, die Febr. MDCCX. horis ante- & pom.
Publicæ Eruditorum ventilationi exponit*

SIMON DANIEL TITIUS,

Vratislaviâ Silesius.



PROOEMIUM.



Quod de usitata mortalibus inconsultâ vitæ ratione, Philosophus notat: *Magnam vitæ partem elabi malè agentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud agentibus*; Hoc idem, optandum certè foret, ne etiam de variis aliis, ad vitam melius degendam institutis, cœptis, atque studiis, pari veritate dici posset; Quod nempe, etiam operosæ, mortalium contentiones, circa ea, quæ propriis, & communibus, usibus destinantur, passim plus in alienis, quam ad propositum scopum rectè collineantibus, curis & conatibus occupentur! Non quidem prolixè in ullas censuras excurremus, sed breviter solum notabimus, quod etiam in eo, quod præ manibus habemus, Medico studio, certè satis sæpè justissimus subsit metus, ne quid harum offensionum salutarem scopum evertat, aut ad minimum ita intervertat, ut locum inveniat exprobratio antiqua, magno apparatu, magnas nugas actas esse. Quemadmodum autem, pluribus certe respectibus, caveri meretur, ne in hoc stadio atque studio, temerè à semita aberremus, & aliò potius dilabamur, quam desideratum scopum attingamus; ita proposita semel animo, tam

anhela, quam indefessa industria, rectā viam & infistendi gnauiter, & observandi vigilanter, & prosequendi constanter, medium certe nullum hic suppetit magis securum, quam unicum illud, naturæ ordinem atque placita, nunquam a mentis oculis omittere, sed illius vestigia cum summa attentione sequendo, hoc ipso aberrationem illam ad alia, aut aliena, solerter evitare. Sicut autem, ubi de Medicis intentionibus est sermo, Naturæ vox, (quatenus eam observare & sectari debeat rerum suarum rectè satagens Medicus,) nihil aliud denotat, nisi activitatem æque, atq; actiones illas, quibus corpus humanum ante omnia ab omnibus corruptelis præservatur, atque vindicatur, & eo ipso, porro, in sui integritate conservatur; ita valet hoc omnino de omnibus æque atque singulis hujus generis objectis, ut inquam nulla certior affulgeat Cynosura, ad quam cursum nostrum, pro felici fine tanquam portu assequendo, dirigere experiamur, præter hanc unam, ut Naturæ usibus, & actibus, animum ita diligenter applicemus, ut, & quid illa agat, & ubi, & quomodo, & quamobrem, magna cum solertia comprehendamus, quò ejus laboribus, mala Fortuna impeditis, tam prudente, quam perito, consilio & auxilio subvenire, è rectè percepta indole necessitudinum ejus, tandem valeamus. Est autem sine dubio in hoc ordine primus quasi passus, tanquam ad historiam nudam illarum rerum animum adjicere, quas & perpetim, iterum iterumque, & constanter, unâ eâdemque ratione, ita & non aliter, aut non, nisi schemate solum variato, fieri atque agitari, sola tranquilla, & alienis præjudiciis vacua, observatio confirmat, imo consensus etiam totius generis humani, familiaribus suffragiis, tum communis, tum propriæ passim, experientiæ documentis demonstrat. Aqua-

li demum, ita veluti solenni atque immutabili, constitutione & conditione, progressum facere datur, ad comparationes, è quibus tandem rationes colligi, atque reperiri possint, quæ nihil peregrinum aut alienum, sed veros proprios nexus, longinquorum subinde, & per varios successus, ad præfixos fines emergentium, operosorum æque, f. n. quam laboriosorum, p. n. actuum, & conatum, recto tramite assequantur. Transferemus hanc considerationem, ad specimen aliquod, è multis unum, in quo, tanquam exemplo, experiri connitemur, quid hujus Methodi, omissis alienis, opinionibus atque præjudiciis, aut semotis, ipsas Naturæ intentiones atque contentiones expendendo, colligere, integrum sit futurum, quod tam Scientiæ, de veritate rerum, ita & hoc ordine incedere assuetarum, quadret; quam Experientiæ fidæ, pro practico usu, ad expediendos Naturæ oneratae labores, feliciter satisfacere possit. In effectum autem hoc deducere cordi habebimus, in negotio FINIS MENSIIUM, INITII VARIORUM MALORUM, seu Cessantis exonerationis Menstruæ, passim variis valetudinis perturbationibus aditum pendentis. Quod nempe Thema, Inauguralis speciminis loco, Publicæ ventilationi subijciemus. Faxit autem Deus T. O. M. ut & prospere succedat cœptum nostrum, & utiliter cedat.

Th. I.

PARADOXA Medica, nempè tales veritates, quæ, non satis advertentibus animum, minus conspicuæ sint, interim scitu, & consideratu adeò necessariæ, ut illis posthabitis, aut ad minimum non satis pro dignitate pensatis, nulla unquam nexuum, ab illis pendentium, solida perceptio sperari possit, optandum certe esset, ut *nulla* allegari possent; sin minus, ut *levia*, & circa *apices* magis supremos, quam infi-

mas atque primas *radices* occupata; quandoquidem error circa ipsa fundamenta admittus, tanto graviora post se trahit damna, & confusiones, quanto plura atque latiora incrementa sumunt diffusiones deductionum, è tali fundamento diductæ. Posset expectari, ut etiam *paucitatem* ejusmodi aberrationum, optabilem, allegavissem; sed abstinui consultò, dum hæc conditio, nempe circa ipsum fundamentum occupatæ aberrationis, *paucitatem* adeò parum tolerabilem, aut excusabilem reddit, ut etiam unus Error, circa intimum fundamentum admittus, foecundissimo progressu, ad numerosas productiones illi superstructis facilè dimanet, atque diffundatur. Illud autem certè optari mereretur, ut *Paradoxorum* talium proventus, non inveniretur, nisi apud pauciores, inprimis autem privato solum neglectu, publicæ artis luci nihil caliginis offundere compotes: & fane optabimus liberaliter, jure an injuriâ hoc ipsum faciamus, cordatorum arbitrio relinquentes.

Th. II.

Nominabimus autem aliqua hoc nomine utique maxime digna; *Paradoxa* inquam. *Primum* autem, imò primam Classẽ, meritò constituimus, ingentem illam *contrarietatem* (si *universim* spectatur) *dispositionis*, seu *potentiæ*, ut scholæ loquuntur, & *Habitus* seu *Actus*, corporis animalis, in ordine ad *corruptionem*; ubi nempe, non solum corpus animale, *corruptioni*, ex intima sui mixtione, aptissimum, & penitissimè expositum est: & tamen, (iterum dico, *universim*,) in *actum* corruptionis non deducitur; sed potius adversus illam *continuum* dispositionem, perpetuo *contrario* actu defenditur, atque vindicatur; Verum etiam toto hoc actu *conservatorio*, (non solum simpliciter *privativo*, verum etiam *positivo*) dispositioni ejus corruptibili, ut tali, nihil usquam detrahitur; sed hæc ipsa potius, (iterum dico, etiam *positive*,) talis, nempe *corruptibilis*, conservatur, imò instauratur. Unde resultat *duplex* insigne Paradoxon, 1.) Quod corpus quam maxime floridè *sanum*, non solum sit quam maxime *corruptioni* obnoxium; sed etiam, 2.) peculiari artificiosissimâ ratione, ab *actuali*

si eventu corruptionis equidem vindicetur, Actu strictè dicto Vitali; in corruptibilitate vero suâ perpetuò foveatur, in ò perpetuis supplementis in illa denuò restauretur, (ut semper genuinam illam corruptibilitatem, retineat,) Actu Nutritivo.

Th. III.

Secundum Paradoxon merebitur appellari, quod Corruptibilitas hæc corporis, licet in simplicem, directum, & tam velocitate, quam intimâ penetratione supremum, gradum, non deducatur, nisi Casibus, (ut Causis,) adeoque etiam Exemplis (ut Effectibus,) ultra fidem rarissimis; Interim tamen omnem, lentiolem æque atque leniolem, corruptionem, evitare nequaquam possit; & quidem, licet non æque in omnibus, tamen in præcipuis sui partibus, nempe *Humoribus*, & eminenter ipso *Sanguine*. Cujus maximè intuitu, citatus ille Actus *instauratorius*, & materiæ ita corruptibilis positivè *restauratorius*, tanquam perpetuò, ad minimum per Periodos breves perpetuò repetendas, ita necessarius est; qui in locum portionis corruptæ, æqualem restituat, tam Quantitate, quam Qualitate, nempe pariter corruptibilem.

Th. IV.

Neque vero adjiciemus insuper etiam illud Paradoxon, Quomodo inprimis *Vindicatorius* ille Actus, nullâ materiali sed pure *formali* efficacîâ, hunc effectum absolvat: & quidem, contrâ quaslibet diversas particulares de hac re opiniones. Sed subjiciemus potius, proximo loco, Exemplum in eo dispar, quod non tam ullam directam conditionem materiæ corporis, præsentem atque immanentem, respiciat; sed nudas ejus *destinationes*, partim utiles, partim *eventus* noxios: sed utrosque adhuc absentes, & demum *futuros*. Loquimur autem, non tam simpliciter, de *Exonerationibus Quantitatis*, præter præsentem usum, nedum necessitatem, abundantis: quam inprimis, de *statis* earundem administrationibus. Quælium certè qualescunque materiales causas enucleare, inprimis *Oeconomix* corporis internas, cœptum est, si quod aliud, irri-

irritum atque vanum. Dico *statarum* Excretionum, quò *talium*, rationes corporeo-mechanicas allegare.

Th. V.

Quartum Paradoxon horum generum, est, ingens ille nexus *Societatis* Effectuum, & propter hos passim etiam *directionum, organicorum* actuum. Quo nempe medio passim in corporea Oeconomia, ut habet Proverbium, *Una fidelia duo parietes dealbantur*; Nempè, in *præsens*, principali cuidam actui speciali, alter generalior copulatur, & maximè celebrè illud hic exercetur, quod *unius rei plures* possint esse *fines*.

Th. VI.

Subjungimus tandem *Quintum* Paradoxon, admodum promptam & familiarem assivefactionem, & Actuum, & ad illos tendentium *apparatum, exoneratiorum*. Qui *juncti* denique, cum proximè notatâ, etiam *plurium diversarum intentionum*, per *unum locum & actum, exoneratione*, Autores passim atque Architecti evadunt, variorum Effectuum, quales non animadversâ *Quarti* nostri Loci prægressâ intentione, *παράλογως* adscribantur efficacisë, ad simpliciorum illum actum eminentiorem concurrenti.

Th. VII.

Cur *Paradoxorum* nomine has res notemus, brevibus expedire necessarium videtur. Non autem illud agimus, ut iterum *Definitionem* Paradoxorum hîc repetamus: sed illud potius, ut ratum faciamus, quod hæ res, de quibus hucusque locuti sumus, reverà ita parùm ad animum admissæ sint in scholis medicis, præcipuè ut diversa sentientibus, ut propterea ferè nusquam aliquid, quod ex his veritatibus fluat, etiam post multas, & verè ad nauseam repetitas, remonstrationes atque demonstrationes, ne quidem vel prima, nedum latius diffusa, consuetaria harum, agnoscantur. Cujus rei testem meritò primo mox citamus, vel nullam illam, vel irritam, utut variam, speculationem, (si modo consideratio aliqua concurrisse credi possit,) de *vero*, & proinde *strictè* dicendo atque sumendo, ACTU VITÆ. Tam, inquam, quid propriè sit & dica-

dicatur, *Vita*: quàm etiam, quibus *Actibus* præstetur; aut
cujus rei, sive *materiali*, sive *formali* concursui & energiæ de-
beatur? Cum tamen utique maximoperè intersit artis Me-
dicæ, ut hujus rei, tanquam eminentissimi sui *Objecti*, partim
immediati, partim mediati, quantum usquam fieri potest, noti-
tiam habeat. Dico, ut tam quid ipsa sit *Vita*, quam quibus
mediis præstetur, adeoque ab illis veluti pendeat, cognitum
& perspectum habeat; Cum enim, quamdiu omnia *media* le-
gitimè sese habent, *effectus* sine dubio in salvo subsistere pos-
sit: certè si ita alicubi deficientibus ordinariis *mediis*, *Ars* re-
ctè perita subvenire, meminerit, & illorum defectum suble-
vare aut supplere; consulat eo ipso necessitudinibus ipsius *Vi-
tæ*, tanquam *effectus* ab his *mediis* sperandi.

Th. VIII.

Quam longè autem absit hæc res, à nudo *speculativo* usu,
sed potius totius verè efficacis *Praxeos*, totus fundus hic situs
sit: adeoque ab hujus dogmatis neglectu, aut minus sufficien-
te solùm, tam cognitione, quam æstimatione, verum præci-
puum fundamentum solidæ *Praxeos* corruat; potest omninò
affatim liquere ex eo, quod tam *materiæ* ad *motus*, *proportio*
necessaria: quam *necessitas*, & *proportio*, *motuum*, ad varias,
(quantumvis numero non æque multas) *materias*, non aliun-
de, sine vanis fictionibus, intelligi possit: & tamen nihil aliud
verum & naturæ consonum existat.

Th. IX.

Quàm steriles enim hîc sint *Phantasiæ* illæ, de *unionem animæ*
cum corpore, de *unionem per spiritus*, de *materiali* efficaciâ
Spirituum ad corpus conservandum, de horum *materialium*
Spirituum pabulo & alimento *astrali*, de *balsamo vitali*, & per
hoc *balsamicâ* per inanissimam *ταυτολογίαν* constitutione, aut
conservatione sanguinis &c. non solùm ex eo satis dilucescere
potest, quod harum rerum nulla usquam realia documenta à
posteriori suppetant: sed ex eo tantò magis, quod aliud planè
quiddam, & certò atque notoriè præstò sit, & hujus maximè
rei, tam *efficacia* rationi evidens, quam *effectus* (præcipue in
B defe-

defectibus) experientiae conspicui, omnis alterius rei praesentiam, certissimè otiosam atque supervacuam reddat. Præterea verò, hæc res, ita utique sit constituta, ut ejus justa *observatio*, & optata *conservatio*, non solum certissimè, sed & (eminentè & ultimò) *unicè*, veræ felicitatis *practicae* unicum fundamentum constituat, imò absolvat.

Th. X.

Quod autem hæc res, verum *Paradoxon* Dogma, inter Scholarum usitata placita constituat, ex eo dispalescit, si verum fundamentum, consentientium æquè atque dissentientium earundem, solidè animadvertamus atque detegamus. Est hoc nullum aliud, nisi, quod omnes tales, præter *Paracelsum* & *Helmontium*, *directas* suas intentiones, *unicè*, &, *repeto*, *directè*, dirigant inquam, ad materias: *crasin*, inquam, harum, *directè* & *simpliciter*, secundum varias tamen opiniones, corrigendam: nusquam ferè, aut nusquam certè *condignè*, æstimationis, alicubi *compendiis*, alicubi etiam *necessitatibus*, semper autem necessariis *subordinationibus*, & inprimis potentissimis *energiis*, debitarum proportionatarum *Secretionum*, & *Excretionum*. *Helmontius* autem, luculentius quidem utique, quam turbulentus *Paracelsus*, *Potentiam* OPERATRICEM *Naturæ* agnoscat, sed adeò magis illam solum supponat, quàm ostendat, atque doceat, ut in oppositum, iterum inani pollicitatione, & conatu, hanc simpliciter & *directè* ita *roborare* atque excitare, somniet magis, aut ad summum optet, quàm verè valeat atque possit, ut iterum illa *sola*, non nisi tali *generalissimo* adminiculo excitata, & ad miraculum, ab omni *Pathe-tico* errore, in originariam suam *sapientiam* atque *potentiam*, *ἀπὸ μυχῶν* exaltata, non solum quibuslibet *materiis* aptè *pares motus* excretorios exequi valeat; sed vel penitus omnes materias ita *invertere*, ceu momentaneis potestatibus, compos fiat. Cum *utrinque* non nisi in *medio* posita sit veritas; nempe *diversas materias diversimodè* ad proportionatas *emotiones* disponere *svadens*, minimè vero illarum omnium *simpli-ecm* & absolutam nudam *correctionem*, citrà necessitatem

tem-

tempestivæ *eliminationis*, promittens: Diversis autem talibus materiis propius *quadrantium particularium* potius motuum *exoneratiorum* applicationem approbans, quàm ullo adhuc experimento suffragans, præsumptuosæ illi spei, quod etiam generalissima talis & absoluta roboratio & excitatio ipsius energię vividæ vitalis, arte aliqua sive introduci, sive revocari possit, ut illa sola, sine adminiculis materiæ *præparatoriis*, aut specialiorum convenientium motuum manuductoriis, omnia, quantumlibet diversis modis necessaria, & præsentissimè, & rectissimè, & potentissimè, absolvere valeat.

Th. XI.

Sicut autem ex hac ipsa quarumcunque receptarum opinionum medicarum, quotidiana, & constante, tam traditione, quam exercitio, etiam in tentaminibus practicis usitatis, manifestò elucescente firma & constante observantiâ, abundè confirmatur, quod revera ipsis *Paradoxa* sit, allegata à nobis vera habitudo *actionum* vitalium, ejusque energię, tam *spontaneæ*, sine artis subsidiis, quam etiam his ipsis necessariò *concurrentis*, imò vix unquam excludi, aut negligi sese permittens; (exceptis paucissimis casibus, ubi per proximum contactum alteratio aliqua præsentior, atque verior locum invenit:) Ita optandum certe esset, ne *Paradoxa* adeò vulgo esset, tam ipsa *experientia*, quam, si quid aliud, evidens, *ratio*, fiendi & agendi, sociarum, adeoque passim variis modis, atque motibus, consentientium & conspirantium, *actionum* vitalium; non solum *secundum naturam*, verum etiam, à promptissimis & quotidianis levibus alterationibus, & extraordinariis variationibus, ad ingentes & maximè conspicuas exacerbationes passim procedens: idque per occasiones *p. n.* non solum *materiarum* periculosarum, sed etiam *intentionum* præcipitium *patheticarum*. Inqua re *ἐνδεξως*, & ut revera se habet, intelligenda, è quotidianis phænomenis practicis, etiam plebi affatim notis, nullum aliud patet subsidium, nisi verus intellectus *præsentie* & *potentie*, *necessitatis* & *utilitatis* *s. n.* formidabilis autem *contumaciæ*, si *p. n.* exeret, MOTUS TONICI, quo decubitus

bitus seu congestiones humorum, ab una regione, in ò una parte, ad alteram, ut facillimè ita subinde promptissimè, declinantur, atque transmittuntur: tantò magis autem hoc, è partibus *conjugatis*, aut regionibus *subordinatis*.

Th. XII.

Minima sorte justitia videri posset annumerata à nobis esse *Paradoxis*, observatio *Consuetudinis*. Sed jubemus illum respectum expendere, quo hujus mentionem facimus: nempe satis utique *Paradoxon* passim haberi, facile est observatu, usitatissimam illam efficaciam *consuetudinis*, quâ, desinente etiam *specialiore* quocunque actu, tamen à *generaliore*, & difficulter abstrahit, & admodum pronam se gerit, etiam per leviores occasiones ad eundem denuò suscipiendum. Imò verò situm hic est fundamentum vulgò vix animadverti solitæ, adeoque verè paradoxæ illius *reminiscentiæ*, post insignem etiam aliquando annorum ambitum denuò sese exerentis: ubi, etiam integris aliquandò *ætatis periodis* intercedentibus, per commodam vitæ rationem satis tranquilla atque regulari; obtingente, per *subsequentem* ætatem, nova aliqua, utut *generalis*, occasione, pristina illa, (verbi gratia à pueritiâ & adolescentiâ) adsvetudo, denuò sese exerat, si non ipsissimâ specie, tamen genere, antiqua gemina. Qua de re pluribus actum à D. Præf. in Dissert. *De Fundamento Morborum Ætatum*; *De Motu sanguinis Hemorrhoidali*: *De Podagræ Nova Pathologia* &c. In qualibus rebus ingentem energiam consuetudinis circa *motus*, *apparatus*, & *actus*, & hinc varios *successus* & *eventus*, HÆMORRHAGICARUM exonerationum, certò scio non ita multos fore, qui in dubium vocent, quin etiam hodieque ingens passim subsit *παράδοξις* opinionum.

Th. XIII.

Puto non immeritò hæc à nobis præmitti Tractationi *Thematis* nostri, quomodo nempe *Finis exonerationis menstruæ* ut facile, ita passim, *initia* suggerat variis molestiis & moliminibus, vario quoque modo tam incommodis, quam penitus variè periculosis. Cujus certè rei deductio-

nem

nem, impossibile sit, tam secundum veritatem ipsam rerum, quam verum nexum causarum, enucleare, citra subsidium illarum, usitatæ opinioni Scholæ medicæ ita *paradoxarum*, energiarum. Quod, ut ex ipsa deductione, sine dubio elucescet, ita aggrediemur, favente Deo, ipsum negotium, ab ipsa maximè *Historiâ*, prout hæc res sese gerere sivevit, initium facturi.

Th. XIV.

Fæminæ in *plena*, inprimis autem etiam *lautiore*, in-
nuo *aromaticam* atque *vinosam* diæta constitutæ, &, unde-
cunque tandem, *Plethora* seu Abundantiâ sanguinis notabi-
li affectæ, quæ etiam evacuationes *menstruas*, prægressis æta-
tis annis, sive liberas atque largas expertæ sunt, sive etiam jam
alias frequentibus, inprimis autem insignibus, harum *ἀτα-
ξίαις* laboraverunt, quando jam ad illos annos perveniunt,
quibus evacuationes hæ statæ desinere solent, incidunt passim
etiam jam tunc in molestos quosdam affectus, tum circa ipsum
typum & *exitum* hujus fluxus, tum circa alia pathemata. Si quæ
etiam jam ante hoc tempus aliquas tales exercuerunt, tantum
abest, ut desinente fluxu hoc, etiam illa, ut quantumcunque
ab isto dependentia, quod rationi consentaneum reputari pos-
set, pariter cum ipso posthac cessent, ut potius contraria rati-
one, ab illo maximè tempore, frequentissimis exemplis, cer-
tius, sæpius, atque sævius exacerbentur, imo aliqua inprimis
talium incrementa potius sumant.

Th. XV.

Sunt autem hæc talia Pathemata, differentium veluti
classium; quarum *prima*, comprehendit eventus ipsi *Utero*
molestos: *Secunda* illos, qui etiam ipsi antiquâ explicatione
utero adscripti, rectius à recentioribus & inter primos *High-
moro*, *Hypochondriacæ* tribui vindicantur: *Tertia*, compre-
hendit illos affectus, quos hodiè *Rheumaticos* appellare solent,
nempè à *congestionem*, & inde *stagnationem* humorum, seu *MSeæ*,
pendentes; *Quarta*, affectus includit, tam circà externum
habitum corporis; quam etiam fluctuando, & quasi recipro-

cando, facile ab ambitu corporis ad interiora *recurfantes*, & eximium planè confenfum obfervantes, *fpafticæ* indolis: imò, quod huic fexui valde familiare eft præ viris, *Rheumatico-Spafticæ complicationis*.

Th. XVI.

Primæ illius Claffis eft, variè perturbatus fuffeffus debiti adhuc, *menftrui*, fluxus; quandoquidem hic tali tempore, fub hujusmodi conftitutionibus, emanere aliquandiu folet, ad plures feptimanas, imò aliquando menses, ita ut plenæ ceffationis initium fæminæ fufpicentur. Revertitur autem, ceu poftliminiò, *impetu* in folito, cum *profufione* immoderatiore, aut *duratione* fimul longiore, imò *utrumque*. Recurrit etiam frequentius debito, apud aliquas, & fimul largius: breviter, gerit fe inordinatè, tam *menfura*, quam *tempore*. Tantò certius autem, & vix non certiffimè, ulterioribus malis confectionibus viam fternit, Ceffatio nimis *præmatura*, nempè multò ante 49. ad 50. annum, quâcunque etiam, de reliquo, apparente cum tranquillitate facta fit. Quamvis enim in hoc genere fæminæ, interdum tanquam *compensationem* aliquam allegent, dum fluxus ipfe adhuc admodum juvenculis, 13tio ad 14tum annum, eruperit; nihil tamen hoc verè confert ad finceram fecuritatem, & nihil *genuinæ* compensationis, directè poft fe trahit, quin potius præmatura, inprimis notabiliter, ceffatio, reverà ingenuo naturæ ordini minus confona, & aliarum ataxiarum occasio, reputari mereatur.

Th. XVII.

Quemadmodum autem fæminæ tales, quæ *multo* quidem, fed *fpiſſo* fanguine, pollent, & etiam, fub adhuc procedente per ætatem fluxu, à laborioſiore *fpiſſi* fanguinis excretionē, Pathemata *Hysterico-Hypochondriaca* experiri fenſim adſueverunt, quando jam planè omnis ejusmodi *ventilatio* definit, certum incrementum exacerbationum talium, teſtante experientiâ, paſſim incurrere obſervantur; Ita nihil diverſum circâ hoc genus Pathematum, ingruit etiam illis, quæ, fub quantumcunque largâ antehâc evacuatione, ſive liberæ à ta-
li-

libus accidentibus vixerunt: five jam etiam tunc, ab *externis* occasionibus, aut *animi* importunioribus *pathematibus*, aut *puerperiorum* aliquil us malis successibus, hujusmodi aliquid jam perpeti cœperunt. Dico, quod omnes tales, cessatione, quantumcunque etiam tempestivâ, statæ aliàs evacuationis, certius incrementa, aut prima inchoamenta, *Hysterico-Hypochondriacorum* affectuum subeant, & ab hoc tempore pejus, quam antehâc, in hâc regione corporis habere, satis frequenter incipiant. *Hysterico-Hypochondriacum* autem nomen, subinde tanto majore jure tuentur ejusmodi affectus, quando fœminis, in primis *viduis*, in rebus *lautis*, & *luxu*, constitutis, cupiditates carnales negotium faceffunt, & neque in hâc adhuc dum ætate satis intepefcunt. Quale quid, non ita rarissimis exemplis, in locum *speculativarum* voluptatum, *reales* dolores & corporales passiones post se trahere, & fovere, experientia attentior confirmat.

Th. XIIX.

Non est autem cur prolixè recenseamus, *Schemata* illa hujusmodi affectuum; satis erit nominasse *spasticos* atque *torminosos*, quin tanquam *convulsivos* ejusmodi dolores, *tractiones*, *correptiones* sensibilissimas, non magis in *intestinis*, quam in *meditullio* quasi *Mesenterii*, quam obrem quasi *duplicato* situ corpus incurvare, & *abdomen*, ac in primis *umbilicalem* regionem, introrsum remittere cogantur. *Volutationes* torminoso flatulentas; *Succussiones* convulsorias, *Etôse* anç *Sperge* appellant, nothos violentos *singultus*, *clangosos* imò *clamosos*: *suffocationes* oppressorias, præcordia obtinentes: aut *strangulatorias*, cum œsophago totum *Isthmum* faucium cohibentes. *Contentiones* *flatulentas* cum distensione ampliâ & obstinatâ *intestinatorum*; *stricturas* alvi *spasticas* pertinaces, quæ ne quidem *Cannulæ clysmaticæ* aditum relinquant. Imo in aliquibus, licet haud ita quotidianis, exemplis, etiam repentiè invadentes, reverà ipsum *uterum*, dolores *spasticos*, ut ejus rei â prægressâ ætate peritæ, asseverent, non alium esse exquisitissimum illum sensum anxie *spasticum*, quam verorum
do-

dolorum Partūs, ita ut aliquando ne hilum aliter sint affectæ, quam si nunc in instanti eniti infantem ipsis incumberet.

Th. XIX.

Tertiæ Classi adscribendi sunt varii illi effectus, qui à *contentione stagnatoria* sanguinis, altius in porosas partes admissa ejus diffusionem, formati, jam *Phlegmonodes* jam *Erysipelatodes* effectus, sortiuntur. Idq; tam circa caput, collū, humeros; quam circa coxas & femora: illud quidem propemodum familiarius, quam hoc: nisi per *peculiares* magis causas *occasionales* intercedentes. Quando vero non tam ad *exteriores* porosiores partes procumbunt hæ stagnationes; sed potius harum etiam spectabili *strictura*, magis ad *interiora* cohibentur: tunc familiariorum, imò certior, est effectus dolorificus, in primis in *membranaceis* atque *nervosis* locis, & hoc nomine maximè omnium, partibus *capitis intimioribus*: unde ferè etiam oculorum bubis, aurium recessibus, & exquisito sensu, quando caput levi agitatione quassatur, in intimioribus, & quasi sensibilibus inferioribus, ejus locis, ubi moles cerebri, Carotidum arteriarum majoribus ramis incumbere notum est. Illud autem, quod de partium externarum *strictura* locuti sumus, conspicuum utique fit è vultus atque temporum adpectu, sic affectarum mulierum; dum repentinè *macilentiores*, (*versallen* ajunt vulgò) & genæ atque tempora, quasi *subsidente* compressa, cernuntur: dum, ex adverso, *Rheumaticis* illis affectibus obsessæ, non solum evidentem, sed à *Rheumate*, exquisitè dijudicando, etiam *inseparabilem*, *inflationem* partis præter solitum, exhibeant.

Th. XX.

Affectus, dolore *tractorio*, *tensivo*, & magis magisque manifestò *spastico*, sensum percellentes, cum magis conspicua quoque partis affectæ, *compressione* potius, quam *inflatione*, conjunctâ, obsidentes partes externas, non necessariò in ipsis articulationibus, sed & *secundùm* illas, uti re ipsâ *arthriticæ* sunt prosapiæ; ita, quando re ipsâ hujusmodi subjectis obtingunt, incassum de nomine ipsis movetur controversia: tantò magis, quando circa humeros, aut coxas, scenam suam ludunt: imò

imò circa *caput ossis femoris* pertinacius insistentes (vinosæ diætæ adſvetis,) etiam solidam Podagram magis magisque fiſtunt.

Th. XXI.

Sicut autem Præſes, ſententiam meam, Praxi Clinicæ in-
nixam, De cognationibus *Rheumatismi & Arthritidis*, ediſſe-
rui Diſputatione de *Rheumatismo*: ita hoc loco illud ſolum
proſequi ſatis duco, quod tam *Arthriticis*, quàm *Rheumaticis*
Affectibus, communis ſit, facilis illa *Repulſio ad interiora*: in
Rheumatismo quidem, magis importunè *inflammatoria*, aut
certè per immoderatiorem ſtagnationem, *Staſi* proxima: in
Arthritide verò, equidem *Spaſtica* contentioni propior, ſed
minimè valdè aliena à paribus *ſtagnatorio-inflammatoriis*, aut
ad minimum *obſtipatoriis*, effectibus. Ubi nempelucem, ob-
ſcuritati *Hiſtoriæ morborum* triviali utique exoptatam, præ-
ferre poteſt, prædens diſcretio ſecundùm *αυτοψία*, habitûs
corporis, magis, aut minus *laxi*, ſeu ſucculenti: quorum *prio-
ri*, etiam in confeſſâ *Podagrâ*, in flationes vulgò *Rheumatodes*
judicatæ, velut *inſeparabiles* concurrant; quod paulò *ſtri-
ctiori* habitui, minimè obtingit, ſed omnia ibi manifeſtioribus
ſpaſticis ſtriſturis innituntur.

Th. XXII.

Hi quidem ſunt Affectus hujusmodi, qui, tanquam pro-
prioribus ſucceſſibus à CAUSA, *menſtruâ evacuatione deſinen-
te*, tanquam propioribus gradibus descendunt, atque depen-
dent. His autem demum ulterius ſuccedunt, ſeu procedunt
ab his, & claudunt familiariter Tragædiam univerſam, alibi *ta-
bidæ* conſumptiones; alibi, & propemodum communiùs, æ-
dematofò-Hydropici tumores. Quibus rebus, tanquam pro-
prij magis ſtipatores, præſtò ſunt, *tuffes*, præcipuè *ſiccæ*; aut
aſthmata, jam *oppletiva*, & *oppreſſiva*, jam *ſpaſtica*: aut *utrum-
que*. Poſtquam etiam *Tabes* in ſuperioribus, *tumoribus* per
inferiora, ſic ſatis familiariter ſocietatem jungit.

Th. XXIII.

Non placuit affectibus morbidis, quibus initia velut of-
C
ferre

ferre solet ultima *Cessatio Mensum*, annumerare ita directè, eventum, præsertim non ita valdè familiarem, uti plerique reliquorum allegatorum esse solent; nempe *Excretiones hæmorrhoidales*, huic constitutioni aliquando succedentes. Et hoc partim propter *causam* modo allegatam, quod hic eventus sit ita satis *rarius*: partim autem, quod etiam non tam meritò atque pleno jure, inter cætera paria, morbidis affectibus, aut effectibus, eruptionem hanc ita simpliciter annumerare expediat: quandoquidem magnâ certè cum circumspectione atque prudentiâ, circa hoc subiectum versari, nec improvidis, nedum temerariis, ausibus illi obices objicere, consultum, nedum integrum sit: Quin longè promptiùs, & plura antè dicta, & inprimis graviora illorum, damna atque mala, hâc ipsâ ratione demum facilius introducantur, quàm sanitatis restaurationi verè subsidia adferantur. Unde magis sub evolutione *causalis* habitûs harum rerum, & ipsarum Therapevticarum considerationum indicatione, de hujus eruptionis *apparatibus* atque *conatibus*, eorumque minoribus aut majoribus *noxis*, imo respectivis *usibus*, quantum expediet, annotabimus.

Th. XXIV.

Sicut autem nec opus esse videtur, nec nostra etiam intentio hoc exigit, ut valdè prolixè omnem nexum causalem, ab ovo, quod ajunt, coorsi, deducamus; ita poterit utique sufficere, si *remotiora* quidem generalius, aut ad minimum paulò brevius recenseamus, quæ vero propiùs ad usum meliorem, & veluti specialiore, *Therapevticum*, pertinent, etiam aliquando pressius persequamur. Primo itaque loco tangenda omninò venit Constitutio illa, quâ *Abundantia* sanguinis, seu veriore sensu *Plethora*, corpori conciliatur. Postquam autem ulla ratione molesta esse occœpit, tam proximâ, & cæteris, paribus, *facillimâ* methodo, corpus iterum ab ipsâ liberatur: quàm hoc ipsum cœptum, ut omni intuitu etiam sanæ rationi quam maximè consentaneum est, ita quoque valdè promptè in *consuetudinem* deducitur. Tum etiam denique, quàm memorabilis ferè *reciproca* facilitas intercedere solet, inter *abundantia*

tia talis quasi temerarium *proventum*, & exonerationum *talium adſuetum* liberioſem uſum, & ſucceſſum.

Th. XXV.

PLUS, quàm neceſſe fit, imò plus, quàm commodè tolleretur, ſanguinis, in corpore generari poſſe, & frequentiffimis exemplis ſolere, præter notiſſimam experientiam à poſteriori, innuunt etiam ſatis, velut à priori, duo, non tam argumenta, quam vera documenta: *Primò, Appetitus*, in plena & variè lauta diætâ, ultra omnem *neceſſitatem*, aut verum uſum nutritivum, ad abundantiam, imò ſuperfluum, promptiſſimus: ubi interim par eſt ratio nimiae *affumptionis*, & quidem etiam cum ſtudio ſuſceptæ, & nimiae *retentionis* ac *aſſervationis*. *Secundò*, omni mundo notiſſimum exemplum, productionis & aſſervationis, nudæ, & ſecundum communem Theoriam Scholarum, ne uni etiam effatu digno uſui deſtinandæ aut dicandæ, *Pingvedinis*: In qua materia, cum luxurioſam quaſi Naturæ collectionem atque retentionem, ac aſſervationem, ante oculos poſitam intueamur, quis poterit indicare diſparem aliquam rationem, quamobrem geminum quiddam, cum ſanguine, & circà ejus productionem, planè ſimiliter celebrari, non poſſit? cum imprimis res ipſa ubilibet in ſenſus incurrat.

Th. XXVI.

Optimi autem quoque ſanguinis, juſto inſigniter majorem quantitatem, ſeu ſanguinem ipſum ſub hâc conditione, pro theſauro vitæ ſimpliciter, haberi non poſſe, aut in illam quadrare Proverbium illud ſcholarum, *Deus & Natura, nil faciunt fruſtra*: ſatis diluceſcit, è rectè intellectâ *mechanicâ* ratione atque proportionem, *Motus ſanguinis localis*, ejusque uſus, tam ad ipſius ſanguinis verè ſanam craſin, quam per hunc, corpus ipſum *conſervandum*, neceſſaria: & contra, ex ejus inſigniter *ſuperfluâ* quantitate dependens, tam liberi hujus *progreſſus*, quam conſequenter ſufficientis *impulſus*, prægravatio: & inde ante omnia, dictæ hujus *Craſeos*, magis magisque increbeſcens ineptitudo, ad ſatis expeditum *motum*; quàm

etiam, necessariò subsequentes inde ataxiæ necessarii impulsus, non magis passivæ, quàm inprimis activæ.

Th. XXVII.

Quæ ultima res, utut latiùs passim à D. Præsìde decenti considerationi commendata jam sit atque præmonstrata, non tamen superfluum planè fore, si illam hic etiam breviter exponamus, justas rationes habemus, quæ nobis persvadeant. Consistit autem negotium in sequentibus. Sicut è *Mechanismo motus sanguinis*, vero & non imaginario, innotescit, quod sanguis, proprià sui Crassi, ad *spissitudinem* quasi gelatinosam apprimè proclivis existat; subtili verò concussione ita divelli possit, ut fluxilis maneat: & hæc ipsa operatio transpressione sanguinis per porosas corporis partes, omninò ita perpetuo successu exercetur; adeò ut reverà hic Actus, justæ fluxilitati ita consulat, ut hinc & ipse perpetuus *progressus* sanguinis, rectè atque liberè succedere, per expeditam fluxilitatem, possit: & ex ipso sanguine decenter ita attenuato, etiam heterogenea quæcunque tantò faciliùs dilabi possint: Ita non minus planum est rationi, atque prorsus obvium, quod ad hanc liberam sanguinis promotionem *localem*, atque vegetam ejus transpressionem, tam *attenuatoriam*, quam *secreto-riam*, vera mechanica proportio moderatæ *quantitatis*, mirum quantum conferat: cum nimia copia, tam ipsam *pulsus* energiam prægravet, quàm etiam oppletioni vasorum, & meatuum stipationi, æque in vasis ac in meatibus seu poris, aptam materiam ita præbeat: præterea etiam ejusdem mechanicæ veritatis atque evidentiae sit, quod major quantitas, uti pluribus *pulsibus* pro sui totius distributione opus habet, quam parva, ita tardiùs utique tota absolvatur, ut quælibet portio denuò ad locum suæ attenuationis revertatur. E quibus manifestæ veritatis circumstantiis, nihil aliud utique conficitur, nisi, quod ita abundantia *Quantitatis* tanquam immediatè labem *Qualitatis* post se trahat, uti simplicissimam; ita tamen multis incommodis, tam materiæ suæ, quam motus ad debitum progressum, certissimè exposta, hinc intelligatur.

Th.

Cum autem substantiæ sanguinis, Materiæ inquam sanguinis, quando illi motus suus adimitur, nullum mediocre, sed undique summum periculum impendit, nempe actualis putredinosæ corruptionis; viget utique atque fit potius, ad averendum hunc eventum, quicquid in potestate Actuum conservatoriorum est: Nempè intenditur tantò alacrius, imò severius, ipse conatus motus progressivi, tanquam per vim prosequendi; augmento imprimis *Tonici* motus, ad *spasticas* usque contentiones, imò aliquando penitus *convulsiones*. Ut-pote quibus conaminibus, manifestum est, posse hic illic suppleri defectum *Universalioris*, *Impulsus*, & *progressus*, per indicatas difficultates impeditioris, quo intuitu certè ex omnibus quæ protulit *Willisus*, illud, siquidem non etiam solum, certè tamen præcipuum est, laude dignum, quod, Prærogativa Autoritatis exoticæ, germanis nostris præscripsit ac pervasit, quod in illis affectibus, in quibus spissitudini sanguinis vix ab ullo locus negatur, *Hysterico-Hypochondriacis* plurimæ sint partes spastici importuni motus: quicquid etiam de reliquo circa irritativas, directè materiales, causas harum insolitarum commotionum, suo sensu abundaverit & credulitati Germanorum, per usitatam verbositatem ad huc latius extendendi, occasionem præbuerit.

Th. XXIX.

Quæ quidem res, *spasticarum* inquam variarum contentionum, pro *spissioris* sanguinis, hîc illîc incorpore impediti, in illis ipsis locis vegetiore promotione exequendâ, (imò etiam exprimenda portione, de tota Quantitate, quando abundantia suâ molestiam insignem objicit,) ut aliàs variis exemplis *Hypochondriaco-hysteri-corum* variorum affectuum & symptomatum, sese exerit; ita habet etiam in nostro negotio, Affectuum inquam earundem *tribuum*, à diversâ solum occasionali causâ provocatorum, proprium omninò atque certum locum. Dico, *spasticorum Actuum* variorum, & ab his pendentium partim *translationum*, partim *sensationum*, varia sche-

mata: quæ tum *externæ speciei*, tum *locorum* in quæ incidunt, diversitate, & hoc ipso *accidentalium* quarundam differentiarum larvâ, passim distrahere solent animos, ad multa potius, quam veritatis affeclam paucitatem atque simplicitatem, propendentes.

Th. XXX.

Cum autem in hoc sexu, per totam periodum ætatis, quæ menstruæ evacuationis compos est, in constitutione Individuorum, de reliquo quidem *sana*, sed tamen simul *plethorica*, communissimum est, ut hâc ipsâ viâ non solum *ordinarium* tributum, sed nominatim evidenter *larga* quantitas, excernatur: id est, satis manifestò, *Plethora* ipsa, tanquam hâc occasione opportunâ, simul sublevetur: Perspicuum utique hinc esse potest, quantumlibet etiam simplici considerationi, quod, quando hâc primaria excretio, per directas causas & respectus, in posterum omittitur, quod tunc simul quidem *secundariæ* illi exonerationi, via claudatur, & successus detrahatur: nequaquam autem eo ipso *generalior* inclinatio, & veluti remota, seu longinqua *intentio*, unâ aboleatur: tantò magis, quando utique *materiale* objectum talis scopi minimè cessat, sed potius magis magisque increbescit.

Th. XXXI.

Sicut enim etiam turbæ fæminarum notum est, quod à *Mensium suppressione*, etiam quàm maximè adhuc intra terminos debitæ evacuationis, nullis aliis fæminis, sive certiora, sive graviora, mala consecretaria eveniant, quam *Plethorica* constitutione affectis: ita quidem, ut tales præcipuè, sive circa *abdomen*, sive versus loca *conjugata*, nominatim *spastica* Pathemata, aut è translatione *restagnatoria* symptomata, experiantur: Ita fieri non potest, quin etiam in ætate quantumlibet jam provectiore, à pari causâ, comparia producta & consecretaria, pullulent ac procedant. Enim verò nequaquam *specie*, imò ne semper quidem ipso *gradu*, differunt Pathemata, jam *annosioribus*, ex his fundamentis evenientia, ab iis, quæ *junioribus* adhuc, à *pari causâ* obtingunt; adeò quidem, ut
etiam

etiam summo jure jam suprà notaverimus, quod admodum sæpè contingat, ut fæminæ prima fundamenta illorum incommodorum, quæ *plenariæ emanfioni* Mensium posthâc vestigia legunt, jam ab illo tempore susceperint, & inde in hanc ætatem transferant, quando sub debiti adhuc fluxus periodo aliqua ipsis obvenerunt hujus insignes ataxiæ. Ut nempe etiam ex eo postea dilucescat, quod vera causa talium consecutionum, nulla sit certior atque verior, nisi ipsius *menstrui fluxus* & cum hoc *occasionalium* illarum *exonerationum*, intercepta libera facultas.

Th. XXXII.

Totum autem negotium, extrà omnem difficultatem positum erit, si cum debita animi aversione expendantur, 1.) *justa proportio* & quasi *respectus æquus*, inter *abundantiam* sanguinis, corpori non solum facile *molestam*, sed etiam *periculosus* successibus & eventibus certissimè parem; & simplicissimam æquæ, atque, cæteris paribus, planissimam, viam, his rebus consulendi, per *sinceram liberam evacuationem*: 2.) Usitatum legitimum *medium*, Oeconomix corporis humani inditum atque insitum, *mechanico-organicum*, (dispositio & habitus, potentia & actus, agilitas & activitas, destinatio & usus, mechanismus & organismus,) MOTUS TONICI; id est tractionis fibrosarum *solidarum* partium, & consequenter propulsionis *fluidarum*, seu humorum: & *directionis* motuum hujusmodi, sive per *contentionem*, ut aliquo loco actualis eruptio seu *expresio* fiat: sive per *translationem* in disitum, ad locum quidem alium, sed *scopum* tamen parem, nempe dum etiam talis locus *sincere exonerationi* sanguinis opportunus existit. Attendendo solum, jam ad *diffusionem*, contentio- num talium, per longinquiorem *ambitum*, velut *eminùs* mo- lientem: jam ad *arctiorem* ejusmodi contentio- nis veluti con- centrationem, actuali *expresioni* pertinaciùs incumbentem. 3.) Proponatur diligenter solerti æquè atquè peritæ pensita- tioni, evidentissima illa in omni vita, vis *Consuetudinis*; quo- modo illa, alicui inprimis utili rei inducta, pertinacissimè huic infi-

insistere soleat, seu potius inhærere, neque se facile à tramite semel occupato dimoveri patiatur. 4.) Singularis *pertinacia* hujusmodi *adsvetudinum*, in ætate jam provectiore. Sicut enim *juventus* promptè quidem atque leviter *Consuetudines* suscipit atque subit, sed & non æque præfractè *tenax* earundem manet, quin easdem etiam iterum subinde, nisi quidem admodum in veteratas, mutet: ita *annosior* ætas, non tam temerè & in consultè quidem aliquid suscipere aggreditur, suscepti autem propositi *tenacissima* communiter, atque prorsus *obstinata* est.

Th. XXXIII.

Ultimo autem ex his loco, nihil certe aliud, quia nihil aliud est *verum*, instruere poterit solertem harum rerum scrutatorem animum, de *fundamento* vero atque solido, cui innitatur *conspiratio* illa hujusmodi affectuum, qui *causam* illam, quæ nobis præ manibus est, passim insequuntur, præter solum *nexum* & *affinitatem*, *locorum*, *motuum*, & *apparatum*, ad *excretiones* sanguinis *sinceras* pertinentium: partim in ipsa aliqua *regione* magis *propriâ* observandorum; partim autem, ad *alieniorem* quidem *specie*, non imparem tamen intentioni in *genere*, transeuntium, seu potius *transferentium*, & *translationem* humorum, eò *dirigentium*. Ubi nempe speculationibus, aut mentis fictionibus, certè nihil opus est, sed satisfacere potest simplex atque nuda animi adversio ad ea, quæ, uti si ne ulla mutatione in Oeconomia generis humani Vitali, sunt, fiunt, atque facta sunt, ita annotata quoque jam inveniuntur, ab antiquissimis Artis medicæ Mystis: inprimis ipso Hippocrate, ultimis præsertim Aphorismis *Tertiæ Sectionis*, de *Morbis certarum ætatum*; & posteriore parte Libri II. *Prorrheticor*. Quæ in debitum ordinem redegit D. D. Præses, tanquam ex professo, Disputat. de *Fundamento Morborum ætatum*, & de *Pathologiæ Fundamentis Practicis*: Textum autem illum prolixiorum Ildi *Prorrheticor*. in peculiari *Programmate*, brevius, vi Paraphrasi, clariori luci exponere suscepit. Quæ nempe tota res in eo consistit, quod secundum *diversas ætates*, *diversæ*

versæ quoque dentur *regiones*, per quas *exonerationes* sanguinis, tanquam magis ordinariè & legitime, fieri soleant. De quibus illud inprimis notum est, quod *posteriorum* ætatum alicui debitæ, evacuationum talium viæ, non nisi rarissimis, & ita verè *insolitis*, exemplis, perrumpant *anteriori* cuiusdam, inprimis autem *minori*, ætati: v. g. *puerilibus* annis, sin- cere atque directæ *Hæmoptysis*, *vomitus cruentus*: *adolescencie*, *Hæmorrhoides* aut *Mictus cruentus*: Benè vero, familiarissimis exemplis, *Narium hæmorrhagiæ*. Ita, ex adverso, *posterioribus* ætatibus admodum facilè, tanquam memoria, succurrit, diversorum talium ceu spiraculorum, per quæ jam, *præcedentibus* ætatis periodis exitus patuit. Ut adeo familiarissimum hinc sit, si tali aliquâ *annosiore* jam periodo, viæ, quæ ipsi alioquin, quasi debebatur, minùs obsequitur, recursum suum sumat ad *pristinam*, nempe ab *inferioribus* regionibus ad *superiores*. Unde per trivia quasi nota sunt exempla, juniorum adhuc, juvenili præsertim periodo insistentium fæminarum, quibus ab impeditiore successu menstruarum, inprimis jure aliquo largiorum, exonerationum sanguinis per uterum, familiarissimè *restagnationes* circa *pulmones*, communissimè verò omnium promptæ æquè atquè pertinaces, coacervationes atquè *contentiones* sanguineæ, circa *caput*, unde vehementes *cephalalgie*, formantur. Quemadmodum etiam, huic inprimis sexui, præ virili, adhuc familiarior est, *contentio* hujusmodi circa *splenem*, &, per *vasa brevia*, tenuiorem partem ventriculi, quæ deniquè violentam perruptionem *sanguinei vomitus*, exequatur.

Th. XXXIV.

Feliciores autem certè Scientiæ Historiæ Practicæ Clinicæ opus est, ad verè perspicendum, & hinc intelligendum, quod *contentiones spasticæ* circa ipsos *artus*, respectum peculiarem habeant, licet *longinquo*, dubio, & veluti *tergiversante*, scopo atquè instituto, ad *evacuationes*, seu veluti expressiones, sanguinis, tanquam eminè collineantem. Unde quidem etiam certè Clinicæ peritiæ soli commendandum venit, quod

Hemicrania, Rheumatici vulgo dicti rigores atquè dolores unius lateris *cervicis, dorsi, imò coxarum, pleuritides nothæ &c.* ad *arthritica* schemata pertineant: & passim etiam confessæ *arthritidi*, tanquam variatâ ad tempus personâ, interscena sua inferant. Et quod *vagæ* inprimis, ferociore *arthritica* turbæ, satis familiariter, non minùs turbulenta & intemperantes, quam nihiloseciùs inutiles, hæmorrhagias exercent.

Th. XXXV.

Secundùm has considerationes, nullam difficultatem obstare confidimus, quò minus illorum affectuum p. n. qui *Mensum* plenariæ *Cessationi* non ita rarò vestigia legunt, veras atquè satis evidentes rationes perspicere sit integrum. Sola verò adhuc, pro *fundamento* quasi substernenda veniet, discretio, quando hujusmodi *Pathemata*, vel magis ad sensum *sanis* ad hoc usquè tempus fæminis, in posterum obtingunt, & succedunt: vel, jam ante tempus *Cessationis* notabiliter in commodè habentibus, posthâc non solùm *continuant*, sed etiam magis magisque *increbescunt*. Prioribus, certissima *Plethora* comes præstò est: concurrentibus plùs minùs ferocioribus *animi pathematibus*, quamlibet hæc etiam ad statim dicendam alteram classem, plurimum momenti communiter conferunt. *Alterum* autem genus, adfert jam à tempore fluxus *adhuc* *durantis*, præludia, imò non rarò plenam jam ad *vetudinem*, hujusmodi *Spasticarum & stagnatoriarum*, (illud *paritium*, hoc *fluorum*, accidens,) *contentionum*: pro varietate loci quamplurimum sentientis, jam *Hystericarum*, jam *Hypochondriaco-Spleneticarum*, jam *Cardialgicarum*, jam *Respiratoriarum*, jam *Cephalalgicarum*, jam *Hemicranicarum &c.* variis appellationibus. Sicut autem etiam hujus posterioris ordinis, ita quasi *transitivæ*, perturbationes, etiam prægressis illis temporibus, primordia sui certissimè debent, etiam illo tempore jam, præter proportionem menstruæ exonerationis, præponderanti *plethoræ*; aut *animi* graviorum *pathematum* ferocioribus incitamentis: aut utrisque: aut denique *puerperiorum*, vel prorsus *abortuum*, infastas reliquias, pro *fundamen-*

damentis suis habuerunt: Ita recidit certè restota præcipuè in illud latus, ut *abundantiæ* sanguinis, & *commotionibus*, *Patheticis*, aut undecunque tandem importuniùs incitatis, certissima primaria culpa hic meritò assignetur.

Th. XXXVI.

Sicut enim non tam *abundantia* sanguinis simpliciter, quàm talis, sed quacunque demum ratione *molesta*, imò veluti *suspecta* solum, facta, ceu minus amplius toleranda, variis impatientibus *motibus* atque *moliminibus*, veluti materiale objectum præbet: unde ad omnes totius hujus Scenæ actiones instruendas, quam evidentissimè, longè plurimum, tam primò velut influunt, quam posthàc conferunt & concurrunt, *animi pathemata*: Ita quando utique jam semel huic scopo intentius adhiberi cœpit, seu potius hoc facere adfœvit, *Motuum tonico-spasmodicorum* chorus, non cessat in posterum facillè, quin per qualescunque occasiones denuò expergiscens, ad perficiendum scopum peragendæ exonerationis ventilatoriæ, multiplici conatu & obstinato sæpe molimine, pertendat.

Th. XXXVII.

Ita videlicet tantum abest, ut ulla necessitas exigat, ut potius ipsa rerum veritas ne quidem solum ullo modo ferat, ut, quantumlibet *multiplicium* Schematum, tamen *unam* eandemque *rem* non tam stipantium, quam solum *larvantium*, multiformes *rationes* allegentur; cum circumspectissimè perpensa harum rerum, non tam ut singularum, quam *socialium* atque *connexarum*, indole, non possit non dilucescere, quod longè paucioribus, nempe modò nominatis causis atque rationibus, omninò insistant. Quod propterea notandum utique venit, ne verum *Directorium Therapiæ* verè *Medicæ*, non tam solum in superfluas ambages distrahatur, quàm potius ad falsas & irritas ideas dilabatur: non solum *sine* ullo, imprimis autem passim admodum necessario, *usu*, pro levamine Patientium: sed planè in *damnum* ægrotantium, dum alienis medicamentis & irritamentis, ultra reliqua sua mala, ita dive-xantur.

Ubi nempe apprimè utique commendatum habere debent, solertes, imò conscientiae suae seriò consulturi, Praxeos Medicæ cultores, ut, tam *à priori*, quam *à posteriori*, optimè dijudicare discant, *offendicula* illa, propiorum inprimis temporum Praxi Clinicæ multùm undique impendentia. I. Nihil *alienum* temerè moliri; II. Inprimis, non procuratis quæ ad morbum *propriè* pertinerent. III. Non indulgere opinioni de *Symptomatibus* variis occupandis, sed ipsa potius morbi *radice* ressecanda, aut amputanda. IV. Non placere sibi, in *mitigatis*, imò subinde verius solâ expectatione tandem *superatis*, nudis *paroxysmis*, rebellium hujusmodi affectuum; sed ipsum potius *fundamentum primarii mali*, tentare & convertere. V. Adeoque non tam repentinis imaginariis *curationibus* fidere; sed altioris indaginis, & necessariò in longum sese porrigentis, justæ *methodi*, tam *inventioni*, quam administrationi & *executioni*, invigilare. VI. Et propterea detestandas sanè illas *stupefactorias palliationes*, sollicitè fugere & cavere; utpote non solùm nihil sincerum morbis conferentes, verum etiam majori illorum, de tempore in tempus, primo *contumaciæ*, tandem autem etiam *ferociæ*, inducendæ, nimio efficaciores.

Th. XXXIX.

Hæc quidem ita ut *à priori*; *à posteriori* verò, consultant, hortamur, quotidianam experientiam, quomodo hujusmodi patientibus, sub variis methodis & remediis, melius evenire observetur? & annon illæ potius, quantumlibet sub *assidu*, *largis*, & insuper *multivariis*, methodis & medicamentis, verè perpetuò antiquum obtineant? imò vel planè, & quidem frequentioribus propemodum exemplis, de malo *in pejus* ruant: si non semper *novorum* Symptomatum infausta messe; tamen antiquorum pathematum *frequentioribus* quam olim insultibus, *contumaciore* duratione, &, quod palmarium est, remedia talia, quibus olim auscultare visa fuerant, magis magisque aspernante proterviâ. Donec tandem ex interruptis in
ful-

sultibus, *continuum* quiddam: aut, è dissimulatâ *vegetiore* *activitate*, aut, ut illi loquuntur, *ferocia*, tandem tranquillius quidem aliquid, sed *perenne* & *continuum*, emergat: nempe vel *tabidum*, vel *tumidum* non tam *comitans* ad mortem, quam *deducens*. Quod serio contemplandum, iterum iterumque commendamus.

Th. XL.

Ita nempe, citrà peculiarem *applicationem* secundùm singula phænomena, quæ cujuslibet solerti æstimationi facile succurret, sufficere poterit, pro *Medicâ* inprimis consideratione, quæ *Therapiæ* aditum patefaciat, liquidò intellexisse, quod affectus hi *ortum* suum ducant, à *Cessatione* *menstruæ exonerationis*, cumprimis ex his tribus fundamentis; 1.) *Abundantiæ sanguinis*: 2.) *Adsvectæ jam ventilationis* hujus, inprimis per occasionem, non solum tam *liberam*, & quasi perpetuam, sed etiam *frequentem*, atque *diuturnam*: Quæ circumstantiæ, quam robusti sint *nervi adsvetudinis*, neminem utique fallere potest. 3.) Quod hæc omnia Schemata Affectuum talium, è modo dictis *objectis* pullulent, per efficaciam *Motuum tonico-spasticorum*; qui nempe ordinarii sunt *instrumentum*, tam ad *contendendum*, quàm omnino de uno loco ad alterum *transferendum*, pro perficiendâ alicubi *expresforiâ exoneratione*, *abundantiâ* suâ molesti sanguinis: Quos conatus, si vel humorum ad exitus tenuiores, vel exitum ipsorum nimis constipatorum, ad humores, *proportio* impar, moritur, 4.) *Stagnationes* circa illa loca hinc coortæ, negotium facessant.

Th. XLI.

Ex his enim, omninò solidis, fundamentis, ita rectè agnitis atque intellectis, utique spontè quasi fluit, *inventio* *debitarum intentionum Therapeuticarum*. Quarum scilicet ita facile agnoscitur longè prima existere, ut *abundantiæ* sanguinis consulatur; ne ab hac velut occasionem arripiat, quicquid tandem Naturæ nomine intelligere visum fuerit, ad suscipiendos subsidiarios illos *Actus* motorios, pro impetrandâ, imò

perpetrandâ, *consuetâ excussione*, seu exoneratione, molestæ hujus sarcinæ.

Th. XLII.

Quamvis enim tantum absit, ut ignoremus, ut potiùs D. D. Præles (etiam ad nauseam eorum, qui & dignitatem, & necessitatem hujus moniti non assequuntur, ut & intelligant,) inculcaverit, quod non tam simpliciter *abundantiæ* sanguinis, quatenus talis, sed quatenus *molestæ* factæ, & liberioribus *consuetudinibus* in posterum quasi resistentis, præcipua habenda sit ratio, & in rei veritate præcipua sit efficacia: imò etiam in præsentē negotio, nimio major sit efficacia, diuturnæ adsvetæ liberæ *exonerationis*, quàm strictè *quantitatis* & *mensuræ* absolutæ: (quam rem etiam alibi seriò commendatam, paucis verbis iterum laudare licuerit, nempe quod in assuetudinibus, nulla penitus locum amplius habeat *proportio mechanica*, sed unicè moralis seu *æstimatoria*, ita, ut pro denuò exstimulando impatiēte aliquo *Actu* motorio, etiam *levissimum incitamentum*, imò longè sæpius nuda *suspicio* de futuro, qualitercunque impendente, ad impetus etiam & commotiones insignes apparatusum repugnatoriorum concitandos, abundè sufficere, quotidianis exemplis observetur,) Est tamen etiam simul, nihilò minus certum atque evidens, quod etiam actu præsentēs hujusmodi *corporales* causæ, quibus motus illi (modo *proportionatè*) *utiliter* opponi possint, omninò tantò certius æque atque citius, effectus ejusmodi provocent, adeoque talium omnibus utique modis prudenter habenda veniat ratio.

Th. XLIII.

Neque vero hic etiam prolixè repetemus, quod pariter alibi abundè factum jam est, & cum utique non exiguum usum habere possit, præsupponendum omninò venit, quod *Plethora*, non simpliciter & absolutè indicet, & quod ajunt Medici, *urgeat*, sinceram *depletionem*, tanquam exonerationem. Cum utique abundantissima experientia, & quotidiana quidem, liquidò testetur, quod magno hominum numero, cum *Plethora*,

ra suâ, per longum planè temporis spatium, ita benè convenire possit, ut nullum inde ingens incommodum, nedum actuale damnum, experiantur; Dum modo ita se gerant in vitæ ratione rectè instruendâ, ut temerarias exagitationes vehementes, omnibus modis evitent. Interim statim pro præsentis tractationis negotio, menti utique succurret, quod hæc res nequaquam amplius ita sit integra, ut hîc *Plethoram* ceu *tranquillam*, & verè sibi relictam, intueri sit integrum: quin ad minimum, si omninò admodum quietè hucusque tolerata fuerit, in posterum tamen, etiam de reliquo satis *leves* stimuli, commotiones excussorias exsuscitare soleant, magis magisque importunas, nempe ejus generis, de quibus hætenus fuit sermo.

Th. XLIV.

Unde utique nequaquam dissimulamus, quod pro *Indicato*, secundum rationis æque atque experientiae dictamen, tam *securissimo*, quàm *utilissimo*, reputemus, pro præoccupandis hujusmodi affectibus, tanto magis autem eorundem & frequentioribus, & importunioribus exacerbationibus, prudentem usum *Ventilationis sanguinis*; antè omnia verò in *pedibus*. Ita, ut hujus usui, sic affectæ fæminæ se submittant, *verno & autumnali* tempore, circa *Æquinoctia*. Tantò magis autem, quæcunque jam junioribus suis annis, hoc subsidio quæcunque ratione usæ sunt, obstrictas se veluti in posterum etiam, ad idem prosequendum, agnoscere debent, nisi longè certiores rerum suarum lapsus in deterius, temerè experiri, in animum admittere velint.

Th. XLV.

Neque tamen etiam hoc *solum* auxilium, omnibus intentionibus plenè satisfacit; sed erunt omninò subjungenda, quæcunque ataxias *motuum tonico-spasticorum*, verè *mitigare*, non autem neque *turbare*, neque *stupefacere* possint. Quo quidem intuitu, damnamus ante omnia *Opiatorum* abusum, duobus maximi momenti respectibus, hic quoque, uti semper; nempe 1.) quia *fundamento rei* non satisfaciunt, imò ne-

qui-

quidem succurrunt, atque consulunt: 2.) quia communissimè, *differendo* solum aliquantisper impetum, pertinaciora in posterum reddunt omnia, & aliis quoque convenientioribus methodis atque mediis, *refractorios* reddunt affectus. Eodem autem intuitu dehortamur ab usu, inprimis autem *largo*, & quasi *prodigo*, *calidiorum carminativorum*, exasperandæ sanguinis *exagitationi*, & aliis, in hoc genere præcavendis, stimulis, & per hæc inducendis incommodis, quæ vitari potius debebant apto. Nihilò autem plus tribuimus *salium volatilium* usui, nisi cum summâ dexteritate tempestivæ *subordinationis*, & insuper *moderatissimæ* administrationis, suscepto: præcipuè in subjectis *spongiosioris* habitus corporis, & maximè omnium, quamdiu *plethora* adest, quoquomodo conspicua. Deteriore autem loco meritò habemus usum *Martialium*; in primis promiscuæ præparationis, largiorum dosium, absente potestate vegetioris motûs corporis subjungendi, & in subjectis aliàs quoque languidioris atque sensibilibioris indolis. Maximè autem omnium, iterum, si *plethoræ ventilatio* non præcefferit.

Th. XLVI.

Nequaquam autem temerè, aut frustrà & sine usu, hæc monita commendamus; dum experientiam quotidianam, & sane fecundam talium speciminum, testem allegare nobis licet: Quod indies, qui sunt hodierni mores, hujusmodi remediis exercitæ sæminæ, hujus, de quâ loquimur, constitutionis, unum è *quatuor*, nisi quidem plures, eventum reportent. Nempè, primò, ut *sæpè* quidem & *multùm*, medicamenta talia assumant, sed & nihilò *rariùs*, aut *minùs* sive *mitiùs*, *iteratis*, insultibus Pathematum suorum hinc afficiantur. *Secundò*, aut omninò, ad omnem sensum, *graviùs* & *importuniùs*, de tempore in tempus, ab hujusmodi insultibus corripiantur; magis, quàm ante-hâc. *Tertiò*, aut, si quidem *Paroxysmorum impetus*, reprimi atque domari videtur, per *Narcotica* inprimis remedia, in posterum *brevioribus* intervallis, quàm antehâc: *levioribus* de causis occasionalibus; & magis magisque *ferociori-*

cioribus invasionibus, longiore duratione, quin denique magis continuâ afflictione, multæ miseriæ ipsis objiciantur. Donec tandem audacior, & intemperantior talium abusus, paulò tenuioribus, tabidos, spongiosioribus autem tumidos, affectus & effectus, superinducat: aut, pertæsæ tandem irritarum medicationum, & senescente sensim, post 60. in primis ætatis annos, vigore atque sensibilitate motoriarum energiarum, tunc demum serò, tranquilliorẽ vitæ rationem inveniant. Quod tamen, nisi satis robustâ indole conspicuis, aut abusu talium artificiorum satis maturè, & constantibus adhuc viribus, valedicentibus, vix obtingit.

Th. XLVII.

Omniñò verò multum refert, ne per inconditas *methodos*, hos affectus parturientibus fæminis, omnia graviora ita objiciantur; cum etiam *justior* methodus, nihil magno hiato promissorio dignum, hic spondere possit *cûrative*; sed maximè occupata esse debeat in *Præ-occupatione*, ne mala talia, vel *frequentibus*, vel *vehementibus*, exacerbationibus, quod amant facere, vires accquirant, atque prævalescant. Iterum dico, occupare *Paroxysmos* jam irruentes, *oppugnare* quâcunque manifestiore vi medicâ, in medio impetus *supprimere*, nos nunquam cuiquam svadebimus. Sed longissimè præferemus, viam, non magis speculatione fortè nuda, quam experienciâ luculentâ probatam: quæ in sequentibus consistit. *Primò*, ut *Plethora*, non tam simpliciter *minuatur*, quàm potius, secundum *generalem* ad minimum consuetudinem, pristinarum, velut *accidentalium*, exonerationum, *ventiletur*. Et hoc quidem quàm maximè, non quolibet pro lubitu, & ubi in mentem venit, sed opportuno ac idoneo, *tempore*, & *loco*: ubi partim *æquinotiorum* observationem, partim prærogativam *inferioris regionis*, jam ante indicavimus.

Th. XLVIII.

Secundò, ut occasionales causæ quarumlibet commotionum, tam physicè quàm patheticè *incitatoriarum*, quantum fieri potest, evitentur. Ubi tam præcautio, ne reliquæ s. n. de-

bitæ *excretiones* negligenter succedant ; partim à *patheticis* turbis ortæ ataxiæ, maturè temperentur, locum habet. Cum enim abundè notum sit, quod *alvi* ingens *segnities* æque, atque, undecunque etiam aliàs profecta, *siccitas*, fæminis facilè aliquid turbarum circà abdomen conciliet, prospiciendum huic est, tam *diætâ*, quàm, pro re nata, *Clysteribus*. Imò etiam *Humectantibus*, *Mollientibus*, *Abstergentibus*, moderatè *Laxantibus*, per occasiones, non tamen sine aliquâ *Indicatione*, in usum ductis. Cavendo tamen, ab *Aloë*; & absolutè quidem, in jam *sensibilibus*: Ab acriùs *stimulantibus*: imò etiam ab insigniter *flatulentis*.

Th. XLIX.

Tertiò autem, præcipuam rationem habere convenit, *Flatulentæ* inquietudinis aut irritationis. Ubi ante omnia caveant sibi fæminæ, à flatuum *urgentium* voluntaria *repressione*. Simul autem etiam ab usu rerum, quæ *proventui* horum favent: quibus tamen etiam plus quàm vulgò putant, favet nimis *sicca* diætâ, & *clausa* diù alvus. Abstinere autem hic convenit, à nimis prompto, & inprimis copioso atque largo, usu vulgò dictorum *Carminativorum calidiorum*; Falsæ hypothefi, de *Atonia* à debilitate, aut *frigidityte* tenacis pituitæ, dependente, superstructo. Cum passim, potiùs à *restagnatione* sanguinis per *Venam Portæ*, hujusmodi temporarii diversi *toni*, ex & cum intercurrentibus *spasmodis*, originem suam ducant, & *calidioribus* familiarissimas exacerbationes incurrant. Ubi ex adverso, solis *Clysteribus* simpliciter aperientibus, & emollientibus, ingruentibus jam *Paroxysmis*; calore etiam moderato externo ipsi abdomini adhibito: Interno autem usu, modo non prorsus imprudenter suscepto, *Nitri*, cum *Absorbentibus*, vel etiam alio veriùs *digestivo Sale*, sociato, & *Cinnabari*. Radix *Pimpinellæ umbelliferae*, quâcunque tandem formulâ, plus certè efficiet, quàm omnia, & minus delinquet, quàm ulla, *aromata*: nedum *olea aromatica*, & inauspicata *Salia volatilia oleosa*. Cui si, in *spasticis* jam circumstantiis, societur dextrè *Millesfolium*, plus fiet quàm imperiti credant, nedum sperent.

Th. L.

Maximoperè verò dehortari insistimus, à *promiscuo*, *prompto*, & extrà *specialissimas* indicationes, cum omnibus reliquis *permittentibus*, tentando, usu *Vomitoriorum*, in nostræ Tractationis Affectibus: Sicut in toto sexu fæminino, sub *Flatulentia* quantumcunque adsveta, & cæteris *excretionibus* atque *ventilationibus* non optimè & liberrimè succedentibus. Siquidem inconueniens horum ausus, non solùm *pristinā* in commoda gravissimè *exacerbare*, sed & *nova*, & planè *fontica* *excitare* potest.

Th. LI.

Neque vero etiam, si quid circà ipsos *artus* incommodi obtingat, hujusmodi fæminis, quod quidem vulgò placet, ad *Diaphoretica*, medicamenta, aut regimina, *importuniora*, temerè aditum facilè licuerit. Minimè omnium autem, si *Plethora*, quam verum *fundum* horum malorum meritò constituimus, adhuc sibi relicta incumbat: Siquidem sub tali constitutione, nihil familiarius ingruet, quàm & horum incommodorum ferocior *exacerbatio*; & *capitis* insuper perturbationum intensio: imò, si quid immoderatus fiat, è *stagnationibus* temerè expansis, *stasium* *inflammatoriarum* planè, proventus: aut *oppressoria* *oppletiones* *pectoris*, aut *præcordiorum*: aut *reciprocatio exteriorum* *Pathematum ad interiora*, quod deinde *Rheumatodi malignitati* imputatur: aut certè *simplicioris* *Rheumatodis* *stagnationis* *exasperatio* *periculosa*, *Erysipelatodes*, seu potius *Phlegmonodes*. Sub omnibus autem his *anomalis*, *Febres*, ipsæ quoque *anomalæ*, de *inflammatoriarum* censu, infidis *apostasibus*, opinionem de *Crisibus* confundentes.

Th. LII.

Quemadmodum autem jam etiam repetitis vicibus, contra *Narcoticorum* abusum, in ipsis his affectibus aliquid locuti sumus; ita, cum pro ejusmodi casibus tam vulgò familiaris fit, illorum allegatio, non possumus, quin etiam disertè aliquid adversus illum edisseramus. De *abusu*, inquam, loquimur, profectò modestè; cum etiam de *omnitalium usu*, ego Præses con-

stanter asseverare valeam, per experientiam firmissimam, quod in hujus generis casibus, illo verè *nunquam sit opus*: quin satis etiam *citò*, nimio verò certè *tutius*, & *constantius*, & citra absolute ullum periculum ullius noxæ, illis circumstantiis, quibus aliàs talia destinantur, abundè, satisfieri possit: & quidem unà cum reliquis, non solùm pluribus, sed etiam ipsi *fundamento* propriis, pathematibus. Dum ex adverso, *Narcotica*, his reliquis non solùm nihil utilitatis adferunt, sed longè familiarius *detrimentum* ipsis obijciunt. Unde tantò magis *inconditus* talium apparatus, fugiendus est, qui etiam certò *damnum* minatur. Securissima verò methodus, quæ hujusmodi fucis omnino superfedere posse efficiet, illa erit, quæ potiùs per *discussiones* & *ventilationes*, *secretiones* & *excretiones*, procedet; & *temperationes æstuosarum exagitationum* præstare poterit: simulque, si quæ subsunt *acriores*, sive causæ, sive consecutiones, tam energiam harum, ipsis talibus *temperantibus* infringet, quàm ad magis placidam *excretionem*, illas disponet, imò inducet.

Th. LIII.

Tonicum effectum, si quid magis ipsâ re præstat, quàm inanibus speculationibus, & tralatitiis verborum jactationibus, dicitur solùm valere, habebit certè hic non postremum locum. Meritò autem hic quoque solertem atque prudentem experientiam attendere jubemus, quàm observantiæ & receptis opinionibus inhærere: securi, quod illa, communissimis exemplis, confirmatura sit, quàm parum præsidii in hujusmodi rebus invenire ipso effectu liceat; quin potius *expectatio*, aut aliorum *concurrentium* remediorum efficacia, planè parem effectum exhibeat in aliis paribus casibus, ubi nominatim talia *tonica* nequaquam in subsidium vocantur. Quo nomine meritò certè etiam notamus, *internum* usum *Castorei*; quod in *sensibilibioribus*, imprimis *ventriculum* & *hypochondria*, plus offendere, quàm *tonico* illo sperato effectu proficere, animum decenter advertentes, nunquam poterit latere. *Nervina* verò vulgo dicta, subtiliora, sive *calida*, sive *volatilia*, etiam pluribus modis huic scopo minùs quadrant.

Abfit autem, ut occasionem captare velim Præses, remedium mihi, sub *Pilularum balsamicarum* nomine, usitatum, hic dilaudandi. Latiùs certè innotuit experienciâ illarum effectus, quam ut præconio opus habeat. Illud dixisse, neque quisquam bonus vitio vertet, neque à nostrâ tractatione, tanquam colophonis loco, alienum erit, quod, cum *excretionum* debitarum,, reliquarum,, justus *placidus* successus: humorum bona ad *mobilitatem* temperies: sanguinis ab *exagitationibus* præservatio:,, *flatulentæ atoniæ* emendatio: sanguinearum autem *excussio-*,, *num*, non magis potentissima, quàm *placidissima* sedatio: post,, *abundantiæ* sanguinis, alio certè artificio emendandæ, debitam,, *præoccupationem*, vix non totum latifundium exhauriant earum,, intentionum, quas circà hos affectus animo proponere convenit; medicamentum, quod his omnibus scopis, & *certius*, &,, *presentius*, & *securius*, satisfacit, quàm omnes alii in hunc usque diem, etiam ipsa varietate & multitudine operosi, apparatus,, elogio certè non indigeat.

Th. LV.

Hâc autem certè *methodo* satisfaciendum est, *intentionibus* hucusque laudatis; ut ante omnia causa *antecedens*, ut medica schola loquitur, præoccupetur: *Plethora* (materialiter) & pronæ ejus *commotiones* (ut formaliter.) Quæ verò nihilominus jam enituntur, & seditionem instruunt, sive ipsæ tales *commotiones*, sive propiores *stimuli* ad illas, *tempestivè* quidem, sed minimè *precipitanter*, *placide* non *impetuosè*, *leniantur* magis, ac demulceantur, quàm *opprimantur*, aut coërceantur. Plus autem, omninò perpetuò, attentionis ac intentionis dirigatur ad strictè magis dictum *sanguinem*, & hujus *locales* motus, imò *exitum* spectantes *contentiones*; quàm ad illius, aut quorumcunque tandem illi remixtorum humorum, (inprimis multifariis, aut solis nominibus adumbrandis modis, depravatorum credendorum) *Crasin*. Si tamen etiam, uti minimè tam rarum est, *Crasis* sanguinis aliquid peccet, medicè potius, quàm speculativè, judicetur, quid *simplicissima* illa *dyscrasia*, *spissitudinis* justo majoris

ris, connexionis habeat, tum à priori, cum non satis libero ejus *motu locali*, ut *attenuatorio*; è *quantitate* ejus nimia: tum à posteriori, à deficiente debitâ necessariâ *dilutione*, & motus etiam *voluntarii* neglectu, aliàs potenter promoventis, attenuationem atque distributionem hujus satis liberam atque vegetam. Ubi tamen insuper, cohibendus utique est animus, tam à *perversione* hujus ordinis; usitatissimo nempe more, præcipuam in his rebus energiam, & consequenter etiam translationem, ejusque necessitatem, huic scopo, *craseos* inquam humorum correctioni, destinando: tum, ne huic ipsi scopo etiam talia pharmaca applicentur, quæ longè magis *primariis* intentionibus, *commotiones* sanguinis cavendi, certum, nedum *magnum*, præjudicium objiciant. Minimè verò tam in *exacerbationibus*, quàm pro *averruncandis* illis, negligi merentur, subsidia, quæ etiam adversus *supervenientia* atque *concurrentia* symptomata incommoda, bonos usus præstare possint: (in quibus nempe eminent, *Flatus*, & *Spasmi*, & hinc *stricturæ* spasticæ intra abdomen: inchoantes etiam adhuc magis, quàm jam perfectæ, restrictiones seu diadoces, *translationes* inquam, ab inferioribus ad superiora;) ubi tam *pediluvia*, quàm *clysteres*, & cum speciali *epicrasi* laxationes, multis speciosis tentaminibus palmam præripiunt.

Th. LVI.

Cæterum, totius methodi, quæ universæ huic constitutioni ullo modo quadrat, primaria coordinatio atque constans *dispositio*, fundata utique esse debet in eo, ut minimè simpliciter *Curativam* intentionem exequi sibi proponat. Cui nempe scopo vulgò destinari, imò etiam sano sensu deberi, certum est, vegetam, aut certè continuam, *prosecutionem*, per medicamenta, magis directè ad principale fundamentum affectus directâ. Sed potius *Præservativa* vulgo dicta methodus, eâ dexteritate hic in usum trahatur, ut tam *occasionales*, quàm *antecedentes* causæ, quoad factu est possibile, semper *tempestivè* præoccupentur atque intercipientur: *irruentibus* autem, opportunè æque, ac modestè, ita occurratur, ut potius *placido* aliquo successu ad

tran-

tranquillitatem reducantur, ut requiescant: quàm repentinè *obstupefaciendo*, quando periodus talis efficacis exspiravit, promptè, imò temerè ad ingenium redeant, & loco modestæ *desvectionis*, quam alter processus pollicetur, non aliter in *assuetudinem* ita deducantur, quàm uti miserabili homini, ebrietate objecta, cum crapulam edormivit, antiquus mœror non solum iterum, sed ferè etiam cum majore tædio, unà evigilat.

Th. LVII.

Licet enim, benè tempestivè atque satis dextrè locum nacta hujusmodi methodus, reverà etiam avertere possit, totam plenam nativitatem, affectuum de quibus loquimur; Non tamen ita plenè, & constanter, hoc perficit, quin etiam iteratis *repetitionibus maturis, ventilationum sanguinis*, addictæ manere necesse habeant tales patientes. Est tamen certè longè magis refractaria illa constitutio, quando jam admodum *insolenti* hujusmodi affectuum *assuetudini*, demum quæritur consilium & auxilium. Siquidem in tali casu, nihil prius proponendum est menti, aut patientium spei, quàm quantalibet *mitigatio* solum, atque moderatio impetranda; & *facilium* æque, ac *impetuosiorum*, recursuum acerbiorum, de tempore in tempus major majorque *refrænatio*: Quoad tandem tempestivis, sed certè ita vigilanter instruendis, præventionibus, æque ac præcautionibus, tam *insultus*, quàm eorum *impetus*, verè sensibiliter cicurari observentur.

Th. LVIII.

Ut itaque nihil omninò, sive simuletur, sive dissimuletur, nihil utique est certius, quàm hoc unum, quod tam à sensu, quàm justo metu, notabiliter jam *assuetorum* talium affectuum, patientes, longè magis, quàm ARS operosior, tandem magis magisque in securitatem, imò tandem libertatem, asserat ipsa *senior* ÆTAS. Ita tamen, ut quantum reliquus vigor permittit, à torpidâ corporis *ignavia*, animi autem *acerbitate*, & aliis *diætæ* insignibus excessibus, decenter sibi temperent. Quæ vero *artificiali ventilationi* sanguinis sese addixerunt, huic, ad minimū ante LXX. annum, non in totum renuncient; sed potius, quamdiu qua-

qualiscunque vigor suppetit, etiam *bis* per annum, ad *tres* minimum *uncias*, illas repetant; & quidem in pede. A medicamentis autem *multis*, inprimis quoquo modo *acrioribus*, potius in solidum abstineant, quàm ullo modo talibus indulgeant.

Th. LIX.

Quid hâc methodo, assistente divinâ gratiâ, perpetretur & impetretur, testis erit solers atque circumspecta experientia. Aliis, inprimis â *ventilatione* sanguinis, *justa & conveniente*, ali-
enis, quid impetretur, est jam testis abundè quotidiana non solum, sed certè etiam locuples, experientia; excitans potius, & ad se vocans, quàm solum expectans aut admittens, attentam observationem: ut doceat, quàm facilè, imò ordinariè id quod etiam jamjam supra animi adversioni commendavimus, vel nihil malo detrahatur; vel magis illud incitetur, & quidem tantò plùs, quantò fortius illi & copiosius resisti putatur: imò rarò alterius Schematis ultimam catastrophem fortiatur, quàm supra nominatas.

Unde orandus certè est Deus, ut & mentem in bonam viam dirigat, & cœpris congruis clementer benedicat. Cujus benignissimo præsidio, in pensu nostri absolutione nobis præstito, devincti, gratias ipsi immortales nuncupamus.

